

CLARISSIMO NOBILIVM OQ; VIRO DOMINO,

DOMINO MICHAELI MOREAV

REGI AB INTERIORIBVS CONSILIARIO, ET RERVM CAPITALIVM APVD PARISIENSES PROPRÆTORI ÆQVISSIMO.

PETRVS GVENAVLT. ΥΓΙΑΙΝΕΙΝ.



ALCIDI ferunt (Cenſor criminum æquiſſime) *Cacì confoßi gloriâ , feraque ſeptemplicis victoriâ triumphanti , acerrâ heroüm veteres adoleuiſſe ; Quid quæſo tibi non debet Pariſienſis Reſpublica ? Quid in beneficiorum memoriam non molitur rependere ? Tu enim Gallicus Hercules , Cacos infinitos , imò* κακούργους *graſſatores , raptores , ſicarios , cæteraſque Reipublicæ peſtes ſic de medio tollis, vt viuendi ſecuritatem quâ fruitur, tibi vni & ſoli reponat Lutetia; Te ideò Rex Chriſtianißimus amoris ſui radiјs illuminat; Te Reſpublica vt heroëm veneratur ; Te parentes mei ſuſpiciunt ; Quid moror ego, inclytæ immortalitatis vota tuis tholis appendere ? nam patris animus tibi deuinctißimus cum vitali ſeminis ſcintillâ in artus tenellos deriuatus, lectos ſtudiorum fructus tibi nuncupandos ſuggerit ; non ſecùs ac medici officiј cum tuo maxima ſimilitudo, ad id me non inuitum pellicit; Ille inculpatâ ſeruat ſimilibus ſanitatem, contrariјs posteà remediјs morbum demolitur ; Tu (Iudex integerrime) aureis ſuauiloquentiæ catenulis mores probos foues & adiuuas; Tu Nemæis amictus exuuiјs ſcelus omne de Republica pellis. Medicus morbis extremis, extrema remedia, mitioribus leuiora primùm , valentiora poſtmodùm adhibet ; peccata tu leuiora , publicà nunc ſolùm infamià, nunc virgis, auriculâ nunc ſucciſa coërces in grauiora , vt Medicus in Cancros, Gangrænas, Sphacelos flammâ & ferro animaduertis; Agè ergo (Proprætor æquißime) & oracula hæc Medica, quæ olim in diuûm delubris inſculpta micabant, mentis tuæ heroico reconde ſacrario, vt hac ratione primæui ſplendoris flore cum anni natiuitate reuiuiſcant ; Vale, meque tui perpetuò ſtudioſiſsimum & amantiſsimum foue.*

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXXI. DECEMB. M. CAROLO GVILLEMEAV DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An vtraque Bilis excrementitia, vtilis? noxia? 691.



OMINIS procreatio, nutritio & accretio à ſanguine eſt; Generationis principia, ſemen & menſtruum; ſemen eſt ſanguis vi teſtium in paraſtatis varicoſis dealbatus, (etiam ipſis Æthiopibus) quod prolificum non minùs à fœminâ, quàm à mare profunditur, nec efficientis tantùm cauſæ, ſed & materialis rationem habet. Menſtruo, carnoſæ partes ſpermaticis calidiores, conformantur, ſpermaticæ incrementum capeſſunt, fœtus in vtero & extra vterum nutritur. Quid ita? Nimirum fœtus, quandiu vteri latibulis concluditur, nequaquam ore cibum capit, ſed maternum ſanguinem eúmque puriſſimum in placentam effuſum, per vmbilicalia vaſa prolicit, citra vllam tum chyloſim, tum hæmatoſim, non ſecus atque alius eſt vaſorum pulmonis vſus. Vbi fregit iſta repagula, nec dehiſcente oſſium pubis commiſſurâ, in lucem prodit, eodem alitur in mammas per epigaſtricæ & mammariæ anaſtomoſin refluente: Inde fit vt grauidis & nutricibus, naturæ inſtituto menſtruæ purgationes ſupprimantur, quæ aliàs in menſtrualibus ſiſti non debent, vt nec mulier antequam fluere incipiant, concipere poteſt. Patet inde benignum eſſe iſtum ſanguinem, nec vllo maleficio contaminatum.



IDEM humori non minùs aliæ duæ naturæ functiones acceptæ referendæ ſunt, nutritio, & vberioris nutricatus conſectaria accretio, quæque ſolis partibus communi vitâ fruentibus, non pilis, non vnguibus conceſſa eſt. Sanguinis opificium, hepatis parenchymati debetur, anadoſis venis, ipſius hepatis non cordis propaginibus; hoc alibili nectare, partes omnes noſtri corporis, etiam oſſa peræquè reficiuntur, eſtq; omnium vltimum alimentum; Non negamus tamen, quin alimentum aliud ſit nutriturum, aliud quaſi nutriens, aliud nutriens, ſed poſtrema duo, gradibus potiùs quàm ſpecie cenſemus eſſe diſtincta; In ſecundâ coctione, ſanguis eſt impurior; In tertiâ, cùm iamiam aſſimilandus eſt, & in ſubſtantiam corporis conuertendus, elaboratior, perfectior, vt nihil neceſſe ſit ſecundarios humores ab Arabibus introductos admittere; Ab hæmatoſi, ſanguis antequàm in vaſa deriuetur, diligenter à ſuis excrementis repurgatur, vt inde partes puriorem ſuccum mutuentur; Nec poſſum adduci vt credam vel ventriculum chylo, vel veſiculam bile, vel renes aut veſicam lotio, vel lienem humore melancholico, vel teſtes aut ſpermaticas quaſuis partes ſemine nutriri, ſolo ſanguine ſanguinea animalia nutriuntur.



VOD excrementa colligantur. id nequaquam fit naturæ conſilio, cùm inde innumeri ſoboleſcant morbi, ſed alimenti impuritate; nec enim vllum eſt adeò familiare & εὐπρόσφυλον, nullum adeò dæfecatum, & à ſuis ſordibus repurgatum, quod non multa heterogenea contineat, quæ neceſſe eſt in vnaquáque coctione ſeparari. χυλώσεως excrementa, ſunt pituita ventriculi & inteſtinorum parietibus adhæreſcens (potiùs per catharſim, quàm per vomitum eluenda) & fæces aluinæ. Ὁμοιώσεως ſudor, (qui etiam ſanis erumpit) ſordes & fuligo; Αἱματώσεως ſerum, quod à renibus emulgetur, & in veſicam per vreteres deponitur; Bilioſus humor, quem veſicula fellis prolicit, & melancholicus qui à liene exſugitur: Excrementa hæc ſi diutiùs continentur intra corpus, incredibile eſt, quot quámque graues accerſant affectus; Nihil tamen vetat, quin Natura, vt ſanè parca eſt & frugi, quibuſdam excrementis, ad minimè contemnenda commoda abutatur, quod in humore bilioſo & melancholico agnoſcimus.



NIMVERO mirabilis eſt vt aliarum partium, ſic inteſtinorum ſtructura, quæ non recto ductu à pyloro ad anum feruntur, ſed varijs ambagibus. Quorſum hæc? ne homo ventri continuò manciparetur, nec vllum ſumendi cibi, nec egerendi excrementi finem faceret. Præterea per iſtam inteſtini longitudinem chyli diſtributio perfectior eſt, nihílque ſucci laudabilis tot venarum meſentericarum ſuctum ſubterfugere poteſt; Periculum tamen fuit, ne quantum anadoſi proſunt iſta inuolucra, tantum σκιρίσει officiant, & excrementis obrueremur, quod ſine graui diſpendio, & naturalis œconomiæ perturbatione, contingere non poterat; Segnities alui in coquendo, in excernendo, omnium confuſio, & vaſorum impuritas; Huic incommodo vt mederetur Natura, bilioſum humorem quotidie per inſignem meatum choledochum ieiuno inſertum, deriuat in inteſtinum, vt eius acrimoniâ pungatur, officij ſui admoneatur, & ad excretionem ſollicitetur; Non caret etiam melancholicus humor ſuo ſiue vſu, ſiue abuſu; fæculenti iſtius humoris expurgationi, potiúſquam αἱματώσει, vel vitalis ſpiritus elaborationi, præfectus eſt Lien, cuius reliquias diligenter priùs ſubactas & attenuatas, per vas breue amandat in ventriculi fundum, non ſine egregiâ vtilitate; id quidem, cùm ſuâ frigiditate & aſtrictione languentem excitet appetentiam, chyli retentionem firmet, coctionem iuuet.



T quandiu quidem Naturæ legibus continentur humores hi, non planè inutiles ſunt; At ſi ſemel à ſuâ naturâ receſſerint, non poſſunt non eſſe moleſti; Bilis quandiu naturalis, flaua eſt, aut admixto ſero pallida, flauæ proxima, ſed mitior; aliæ præter naturam, ſunt caloris ignei conſectariæ, & grauiſſimorum morborum feraces; Vitellina, quæ vſtione, non pituitæ vel melancholici ſucci permixtione generatur; Porracea, quam nil vetat vt in venis aſſatione, ſic in ventriculo ex alimentis praui ſucci procreari; Æruginoſa & Glaſtea ad atræ bilis caliditatem & malignitatem proximè accedunt; Denique humor melancholicus ab atrâ bile toto cælo differt, ſiue hæc ex ſanguinis fæce præaſſatâ ſiue ex flauâ bile peruſtâ generetur; nec verò poteſt atra bilis in corpore vel minimo tempore retineri, quin continuò grauiſſima ſuæ malignitatis inurat veſtigia, & ſummam inferat naturæ vim, cùm tria hæc acerrimi morſus habeat adiuncta τὸ δριμὺ, τὸ ὀξῶδες, καὶ τὸ διαβρωτικόν; hinc ad quaſcunque partes allabitur, depaſcitur & erodit omnia, vlceráque excitat χειρωνώδη, non attingenda; terram ſi contingat, abradit & fermentat, imò animalia ſi fortè deguſtauerint, enecat; vno verbo, à venenorum viribus non longè abit.

Ergo vtraque Bilis excrementitia, vtilis, noxia. 138.

Proponebat Lutetiæ PETRVS GVENAVLT Genabenſis, Anno R. S. H. M. DC. XXVI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Iacobus Cornuty.
M. Carolus Guillemeau Præſes.
M. Franciſcus Mallet.
M. Iacobus Iouuin.
M. Petrus Sauare.
M. Iacobus Adam.
M. Quirinus le Vignon.
M. Dionyſius Guerin.
M. Iacobus Letus.

